

Wk. 239
4



X 204 7900

Illustriſſimæ Naturæ Curioſorum
Academiæ

D. GABRIELIS
CLAUDERI,

Electoris atque Ducum Saxoniae
Archiatri

memoriam

L. M. Q. consecrat

FRIDERICUS WILHEL. CLAUDER,

Med. D. Pract. Altenburg.

Thesens III. Nat. Curios.



Institutiones Naturae Curiosorum
Academicae

D. GABRIELIS
GLAUDERII

Electoris atque Ducum Saxoniae
Archicamerarii

Annotationes

L.M. S. confectis

FRIDERICUS WILHELMUS GLAUDER

Med. D. Praef. Altdorff.

Typis III. M. G. G.





Ristis officii debitum expedio, ut grati
 animi monumentum Tibi, *Patruæ atque*
Socer desideratissime, collocem. Immor-
 tali memoria à te in me profecta benefi-
 cia nisi colam, cum humanitate nihil ha-
 beam commercii. A supremo enim NUMINE si
 abeam, nemo te laudabilius de vitæ meæ curriculo est
 meritus. Optimi Patris (quem fratrem habuisti) pro-
 videntiam mors repentina mihi in primæ pueritiæ an-
 nis abripuit. Tanti columinis jactura miserrimum me
 reddidisset, nisi DEI indulgentia te mihi reliquisset su-
 perstitem. Memori siquidem animo reputans, quo
 iste meus Pater quondam te complexus amore fuerat,
 omnem adhibuisti diligentiam, ut soboli miseræ siste-
 res, quod ipsi exhiberi non potuit, mutui favoris te-
 stimonium. Quis eum idoneis commemorabit laudi-
 bus? Quæ lingua illius magnitudini sufficiet? cujus ca-
 lami excellentia istius claritati respondebit? si poëtici
 desiderii particeps ora centum consequerer, haud ta-
 men isti paria possem eloqui præconia. Plurima dabo
 paucissimis. Non curæ modo tibi fuit incredibili, ut
 optimis in patrio Lyceo tingerer literis; sed etiam, ut,
 Academicis consecratus studiis, Medicæ artis notitia im-
 buerer. Quanta benignitate meam iuvisisti inopiam, ut

A. 2.

ille

ille conatus prospere procederet? Quam ingente facilitate aditum mihi aperuisti ad excellentissimorum virorum benevolentiam, ut illorum institutione in variarum rerum peritia, quam Medicinæ amplitudo postulat, proficerem? Cumque non inidoneus judicarer, qui aliis in valetudinis vel custodia vel reparatione opera mea quantulacunque inservirem, suasu tuo primum vicinum oppidum, & deinde dulcissimam elegi patriam, ubi novus Roscius experirer, quid desiderantibus mea prodesse posset industria. Quod postquam subieram, innumeræ tuo erga me amoris factæ sunt accessiones. Non modo enim tuarum curarum vices mihi demandasti sæpius, sed & vitæ tuæ delicias, unicam filiam mihi despondisti, unde non exiguam in me derivatam esse prosperitatem, intellectu est facillimum. Nihil à veritate alieni asseram, angelum te fuisse, pronuncians, à DEO O. M. salutis meæ procurandæ causa mihi salutariter concessum. O si diutius te frui potuissem! Utinam longinquior vitæ hujus usura tibi fuisset data! Id si contigisset, quanta alacritate senii tui incommoda sublevassem, ut gratæ mentis significatio tibi esset edita. Sed quoniam per arcana NUMINIS consilia tam felici mihi esse non licuit, cineribus tuis præstabo, quod incolumi exhibere non valui, laudatissimi nominis tui memoriam calamo levidensi delineaturus, ut si qua futura, posteritas in egregiorum Medicorum numero te collocare possit. Arduum autem
 ea ra-

ea ratione in me suscipio negotium, non virium mearum fiducia, quas imbecilles esse non ignoro, sed officii erga te declarandi promptitudine excitatus. Medicum dici aliquem, non magno indiget conamine, dum, multos sine veritatis ipsius suffragio tam nobili venire nomine, experientia dicitur; sed esse revera Medicum, & possidere omnia, quæ illius tituli excellentia sibi vindicat, non eadem facilitate contigit hominibus. In Optimorum catalogo non postremum tibi decernendum esse locum, grati agnoscent posterius, quibus laudum tuarum fama commendabitur. Singula enim tenuisti cumulatissime, quæ ab oblivionis injuria te liberare queant. Non autem tumultuario saltu ad encomii hujus transvolasti fastigium, sed plurimorum annorum spatium fuit opus, antequam illud contingeres. Quicquid à prima pueritia peradolescens, in juvenilibus annis & in ipsa virilis vitæ maturitate peregisti, ad illum te perduxit apicem. Frustraneo labore ad Medicinæ studium animum adjiciunt, quibus naturæ benignitas ingenii felicitatem denegat. Quomodo enim sine illius dotibus in tam arduæ artis sanctuaria penetrent? In te fingendo singulari optima illa mater usa est liberalitate, omnia largiter impertiens, quæ ad illam imbibendam idoneum te efficerent. Imo hæreditario quasi jure felicior indoles à te ex parentibus transiit honestissimis ex quibus anno M. DC. XXXIII. XIIX. Octobr. Altenburgi natus es, venerabili nempe patre

Josepho Claudero, qui de re literaria pariter & sacra præclare meritus, illustre urbis nostræ Gymnasium per viginti annorum spatium laudabiliter moderatus est, totidemque annos diversis Ecclesiæ nostræ muneribus parili fide præfuit; & matre *Barbara*, M. Michaelis Neandri, Archidiaconi Neapolit. ad Orlam filia, quæ octoginta sex utriusque sexus hæredum mater, avia proaviaque facta, octogenaria major beate obiit. Sed cui bono est ingenii excellentia, nisi cum eximiarum rerum cupiditate copuletur? Naturæ pignoribus multi gaudent, quæ aut ignava sepeliunt socordia, aut rebus perdunt turpissimis. Ab ejusmodi furfuris homuncionibus ipse fuisti remotissimus, ab ipsis incunabulis meliorum conatum singulari flagrans desiderio. Admirati sunt Clarissimi viri, quibus usus es Doctoribus, industriæ tuæ contentiones egregias. In iis primum obtinuit locum *Georgius Crauserus*, patriæ Scholæ tum Rector, Eisenbergensis postea Ephoriæ Antistes, cum *M. Floessero* & *M. Listio* Conrectoribus. Quanta cupidine ab illorum pependisti studiis? Nihil docuerunt, quod non didiceris, freno, potius, quam calcari indigens. In plurimorum animis humanitatis disciplinæ frigere solent; ipse autem illarum accensus desiderio, non potuisti prius quiescere, quam intima illarum familiaritate fuisti beatus; turpitudini tibi fore raras, nisi & in illis excelleres artibus, quarum notitia & Patri & fratribus in eruditorum concionibus laudes
non

non exiguas pepererat. Minima non neglexisti, ut magnis enitesceres. Linguis non indiligentem navasti operam, ut haberes claves, quibus artium altiorum conclavia reserares. Multi, solidiorem fidei capitum scientiam illis tantum relinquendam esse autumant, qui in Ecclesia sanctis fungi cupiunt muneribus. Quasi negligi possint dogmata, è quibus æterna haurienda est felicitas. Aliam tu amplexus es sententiam. Quippe sub laudati Crauseri disciplina non sanio modo religionis nostræ doctrinam, sed & secus sententium opinionones cognovisti, per universæ vitæ spatium fructus inde expertus multiplices. Hinc sine fidei salutaris naufragio inter adversariorum Scyllas atque Charybdes in exterarum regionum perlustrationibus navigasti salvus, & usque ad extremum vitæ tuæ halitum divinæ veritatis amorem retinuisti perpetuum. Provocare possum testes, non modo, quos consuetudo quotidiana tibi reddidit familiares, sed & imprimis, qui Ecclesiæ curant negotia, quam sollicitus de fidei sanctitate semel cognita fueris, quanta indignatione nonnullorum audieris temeritatem, quos insanæ novitatis studium cum magno Ecclesiæ periculo in noxias præcipitavit ineptias. Sed redeo, unde digressus sum. Annum in patrio Lyceo decimum octavum expleveras, cum Patris fratrum Præceptorumque jussu atque consensu Academicas ἀγοάσεις colere constitueres. Eo animo primum te contulisti Jenam, in celeberrimum omnis humanæ

manæ pariter & divinæ sapientiæ empōrium. Factum id est reflorescente Majo anni M. DC. LII. Mensis ille tanta vernæ amœnitatis copia non renitet, quanta laudabilium desideriorum multitudo in te fuit conspicua. In omne artium genus lætissimo excurristi studio, perdiscens singula, quorum cognitio nominis clari famam amasiis suis conciliat. Imprimis naturalium rerum notitiam incredibili sectatus diligentia, non ignarus, quod, juxta πολυδύλλητον, *Medicus incipiat, ubi desinit* Physicus, doctissimorum Professorum, *Stahlii, Zeisoldi, Bechmanni, Olpii*, usus opera, sub & cum quibus etiam non raro in disputatoriam arenam magno aliorum applausu descendisti. Quo facto, dici non potest, quam singulari felicitate Medicis artibus incumbere coeperis. Gaudebant illæ tum temporis ibidem doctoribus, quorum fama nunquam intermorietur, *Rollfinckio, Moebio*, atque *Schenckio*, apud externos quoque celeberrimis. Nihil neque voluptatum neque molestiarum ab horum auscultationibus te potuit abstrahere. Hos non somniculose, non frigide audivisti, sed ardentissime, sed constantissime. Quem in te discendi fervorem admirantes unanimi dixerunt mente: O nos felices tam industrium nacti auditorem! Si perrexerit, ceu hætenus consuevit, tam in usitatam in rebus Medicis ponere diligentiam, in illarum sanctuaria penetrabit, magno nobis quondam futurus ornamento. Colligi inde potest, quam acceptus illis fueris, quanta facilitate

tate.

tate tibi januam ad interiora doctrinae suae penetralia patefecerint. Neque illis tantum laudis tuae Claritas innotuit, sed & aliis, qui publice perceperant, quam acriter sub laudati Moebii praesidio *de hepatis atque bilis usu* disputaveris. Integrum illic vixisti triennium, mansurus diutius, nisi mirifica NUMINIS providentia te Lipsiam avocasset. In summa ibi agebat celebritate, non de Chymicis modo experimentis, sed & reliquis Medicinae studiis incredibiliter meritis, quem ut alterum Aesculapium universus orbis politior adhuc admiratur, excellentissimus *Johannes Michaelis*. Ille ut amplissimorum negotiorum ingenti copiae sufficeret, in contubernio suo duos aut tres Medicinae Candidatos liberaliter aluit, quibus non tantum selectissimae Bibliothecae, in ordinem Locosque communes, ceu vocant, redigendae curam, cum Chymicorum laborum custodia, sed etiam complures aegrotos invisendi sollicitudinem commisit. Cumque eo tempore nonneminis discessus in illorum numero locum cuiquam novitio vacuefecisset, Pater meus pro ea, quam cum eminentissimo isto Medico colebat, familiaritate efficiebat, ut in tanta ambientium id multitudine judicareris dignus, qui domestica tam magni viri consuetudine in maximum salutis tuae emolumentum fruereris. Pro qua benignitate quam calidas DEI providentia egisti gratias! Angustae siquidem suppellectilis inopia cupidini tuae non mediocriter sufflamen injecerat. Hujus autem

B

bene-

beneficii particeps omnes difficultates feliciter superare potuisti, quod grata commemoratione te sæpius recolere audivimus. Nescio autem, cui potioris præconiium titulum in ejus rei recensione tribuam, Patronine salutem tuam juvandi promptitudini, an fidei tuæ & istius desiderio inserviendi diligentia. Utraque certe fuit singularissima. Nihil habuisti prius & antiquius illarum rerum studio quas ei gratas fore cognosceres. Et iste contra plusquam paterno te prosecutus est animo. Nihil profecto arcanarum tenuit doctrinarum, quas aut multiplici rerum usu aut ex aliorum egregiorum Medicorum literis, undique ad se quotidie advolantibus, didicerat, quarum notitiam tibi non aperuerit. Tam benigni Hospitis gratia te sine sumptibus perduxit, quo paucis aliis ingentium munerum multitudo vix aditum comparat. Neque ab hujus tantum pependisti ore, sed & aliorum Medicorum scholis frequenter ardor tuus interfuit. Testem ejus rei adducere possum disputationem. Præside *D. Langio* anno M. DC. LVI. in conflictu publico, de *Miscellaneis curiosis Medicis*, à te habitam. Cui accessit anno M. DC. LIX. alia, de *Phthisi* nempe, sub inclyti Michaelis tui moderamine, eruditorum velitationi, multæ cum lectionis & sedulitatis encomio proposita. Peregrinationes magno illis sunt usui, qui eas salubriter instituunt. Terræ diversis pignoribus, populi vero institutis differunt. Non omnia & eadem ubique vel

inve-

inveniuntur, vel pari modo excellent. Alia florent alibi, & quælibet provincia possidet, quibus se præ ceteris felicem prædicare possit. Medicis certe incredibilia eveniunt commoda, si cognoscant, quibus & exteri remediis morborum vehementiam frangere soleant. Inde & te non parva alio sole calentes provincias visendi cupido tenuit. Non dicam, quod A. M DC LIIIX. & Misnicas & Bohemicas metallifodinas cum diversis thermis atque acidulis, quæ ibidem inveniuntur, perlustraveris. Tacitus præteribo, quod An. M DC LIX. incomparabilem Saxonix Electoris sedem cum incredibile inusitatarum rerum copia, quibus illa inspicientium animis stuporem incutit, non minore commodo quam voluptate videris. Neque tradam, quod Anno M DC LX. illustrem Leucoream ut & inclytam Brandenburgici Electoris Aulam salutaveris, singulis in locis mirabiliter perspiciens, quæ è re tua fore prudenter judicaveras. Sed cur, talia me referre nolle, asserui, cum ipse, non parum inde commodi in te profectum esse, sæpenumero prædicaveris? Non possum non, quin tuis id verbis efferam, ita sonantibus: Præcipue in binis illis Augustissimorum Electorum sedibus tam multiplices, tam utiles, tamque notatu dignas res oculis meis usurpavi, quas cum ingentium sumtuum imò vitæ ipsius jactura, quæ plurimi per multorum annorum spatium vel in Gallia vel aliis remotioribus provinciis conspiciendi vix nanciscuntur facultatem.

B 2.

O egregiam.

giam de re verissima sententiam! Quod si omnes eam reciperent, non tot cordatioribus viris nascerentur querimoniarum, cernentibus, quod in itineribus minus circumspectè susceptis plurimi, dum exteras induunt maculas, domestica decora exuant; quippe qui domum referant pro divina purioris doctrinae simplicitate horribilium errorum monstra, pro candore & ingenuitate insidiosas ficti vultus blanditias & callida machinamenta, pro frugalitate & continentia damnosissimi luxus libidines. Sed quo me abripit de tanta perversitate indignatio? De illis tantum loquor, quos peregrinationum abusus non injuria in omnium conjicit ignominiam. Illi autem in felicitum numero præclarum inveniunt locum, qui provide alienas regiones perambulare didicerunt. Hisce tu quoque annumerari potes, focer honoratissime; Siquidem Majo Anno M DC LX. per civitates Saxonicas, Magdeburgum, Selenopolin, Hamburgum in uniti Belgii provincias profectus es, atque visitatis plerisque celebrioribus illarum urbibus, iis præcipue, quas Academia nobilitant, Franckera scil. Groeninga atque Trajecto, Leidæ atque Amstelodami per aliquot menses commoratus es. Postea reliquis Hollandiæ atque Selandiæ oppidis perlustratis, trajecisti in Angliam, Londini potissimum atque Oxoniæ victitans. Inde in Germaniam redux, visis Colonia Agrippina, Confluentia, Francofurto, Norimberga, Ingolstadio, Augusta Vindellicorum, Monaco, per Comitatum Tyrolensem

in

in Italiam excurristi, Venetiis præcipue & Patavii subsistens, non neglectis tamen cæteris istius terræ civitatibus, quas clariora laudum præconia dudum egregiis extulerunt encomiis. Singulis in locis quam sancte, quam moderate, quam circumspecte, quam sapienter te gessisti? Peregrinarum voluptatum lenocinia facili labe incautis subrepunt, & noxia suavitate animorum extinguunt vigorem. Tu autem Ulyssis instar contra omnium deliciarum blandimenta, quibus illa luxuriant loca, incorruptus, integer atque invictus stetisti, antiqui animi servato specimine. Admiratus es, quicquid in ingeniis excellens, in animis laudabile, in moribus decorum, in institutis frugiferum deprehendisti, non tam chartis perituris, quam felicissimæ illa inscribens memoriæ, quæ & custodivit accepta, & sine mora, cum desiderarentur, reddidit. Maximopere autem in id incubuisti, ut Medicarum rerum notitiæ quam plurimas faceres accessiones; quod eo felicius factum est, quo faciliorem comendatiæ tui Michaelis literæ ad plerorumque locorum Medicos celeberrimos tibi patefecerunt aditum, quoque clarius animi tui dotes explenduerunt ad magnam erga te benevolentiam singulos, quibus innotescere potuisti, allicientes. Neque molestiis caruisti, quæ peregrinantibus solent accidere. Parum profecto à naufragii abfuisse periculo, ex Hollandia contendens in Angliam, subitis tempestatibus in sævissimi maris æstu horribiliter tumultuantibus.

fuetusque maritimorum locorum aër varias corpori tuo
 ægri tudines attraxit. Inde & factum est, ut in Anglia
 non adeo diu permaneres, benignius in Italia corpori
 tuo coelum fore, conjiciens. Sed & ilud expectatio-
 nem tuam fefellit. Tantum enim abest, ut in gratiam
 ibi cum valetudine potueris redire, ut pluribus potius,
 iisque gravioribus malis conflictari debueris. Unde
 & mutasti in Galliam hinc abeundi propositum, per Al-
 pes Helveticas, Basileam, Argentoratum, atque inde
 in patriam, quo fieri potuit viarum compendio, re-
 diens. Virtute quid est efficacius? Cunctorum ad se
 pellicit animos, peragens, quæ sunt incantationi impos-
 sibilia. Ignis est, fulgida erumpens flamma, & radio-
 rum claritate ubique conspicuus. Pulcerrimæ certe
 dotes tuæ non latuerunt in silentio, sed in alta veluti
 specula omnibus se dederunt conspiciendas. Lipsia
 postquam Anno M DC LXI. te receperat, de honori-
 bus in te conferendis fuit sollicita. Habita enim de *phil-
 tris* disputatione, superatisque examinibus *licentiam
 supremum Medicinæ assumendi gradum*, quem *Doctoris*
 nominant, & sequenti anno post tam *splendidum axio-
 ma*, Brabeutis iisdem, quos supra septem annorum spa-
 tium habueras præceptores fidelissimos, tibi impertiit.
 Quo facto parum abfuit, quin, nonnullis invitantibus,
 Hamburgum te contuleris, artis tuæ promptitudine in-
 serviturus, quicumque ea uti cuperent. Sed aliud pla-
 cuit Supremi NUMINIS providentiæ. Cum enim pa-
 triæ

tria: reipubl. consul, Poliater atque Polyhistor, *Thomas Reinesius*, at quantum inter eruditos nomen? domicilium suum Altenburgo transferret Lipsiam, Fratris tui, meique Patris, Archiatri Ducalis suasu, natalem locum urbi à nobis valde remota non immerito prætulisti, Novembri Anni M DC LXI. feliciter huc veniens. Velim ea mihi benignitate cœlestis jam detur facundia, ut omni orationis genere tuas laudes ita commendem posteris, quo invictæ perdurent contra malevolorum invidiam, ne obterant, contra tyrannidem temporum, ne perdant, contra austeritatem casuum, ne consumant. Profecto vix in patriam redieras, cum mox virtutes famæ januam tibi patefecerunt. Sicut enim solis exorientis calor benignissimus terram rosis & rore spargit; ita in curarum Medicarum primordio complures magna extulisti lætitia, ægrotorum desiderio mirifice satisfaciens. Inde non nostræ tantum urbis, sed & vicinorum locorum incolæ quamplurimi valetudinis aut reparandæ aut conservandæ à te expetiverunt consilium pariter & auxilium. Neque plebeji magis quam illustres viri, Nobiles, Barones, Comites atque Principes vitæ suæ curam tibi crediderunt, quorum ingens multitudo recenseri posset, si necessarium videretur. Qua cupiditate, qua solertia adfuiisti omnibus? Actionum tuarum fuit scopus DEI gloria proximique incolumitas. Neque præmiorum spes exacuit te ad sedulo invisendorum ægrotorum studium, neque horum

horum paupertas à sanandis illorum morbis te deter-
ruit ; Sic ditissimorum habuisti rationem, ut Iro pau-
periores ne negligeres. Mercedem enim te confecu-
tum esse satis magnam, credidisti, si miserix hominum
grato subvenire potuisti levamine. Quanta iis in re-
bus usus es dexteritate? Nullum ægritudinis genus,
nullæ medendi viæ te latuerunt, neque temere un-
quam fefellit eventus. Quem prævidere Medici pru-
dentia, ex omnium autem voto semper præstare ne
felicissimi cura potest. Optimus est Imperator, non
qui hostem semper superat, sed qui in acie circumspe-
cte se gerit, omnia subiens, quæ isti damno esse pos-
sunt. Medicumque laus non exigua condecorat, si
morborum crudelitati ea opponit, quæ artis providæ
sapientia præcipit. Semper autem prosternere mor-
bos non est Medici, quemadmodum nec Imperatoris
hostium ubique profligare copias. Neutrum enim sua
decepit ars, neque tam scientia deseruit, quam succes-
sus felicitas, qui à DEI expectandus NUMINE. Sicut
autem plurimorum valetudini assidua sedulitate prospici-
cere solitus es usque ad extremum vitæ halitum ; ita &
doctissimis literarum monumentis consulere voluisti
iis, quibus volupe est eruditorum lucubrationes indu-
striis versare manibus. In illis poni possunt disserta-
tio de *Tinctura universalis contra abusum Alchymix ;*
methodus balsamandi cadavera, etiam majora sine omni
evisceratione ; cui annexa ratio medicamenta Chymica
extem-

extemporanea sine destillatione concinnandi, item Tractatus ostendens Cinnabarin nativam Hungaricam novum figendi modum. Varia etiam Ephemerides Medico-Physica Germanicae Academiae Imperialis Curiosae continent, quae te agnoscunt auctorem. Quid dicam, quae promptitudine miserorum inopiae subvenieris? Illorum si repraesentari voces possent, quam innumera de te perciperentur praeconia? Equiparasse te, dicerent, eorum liberalitatem, quos canae antiquitatis testimonia nostrae consecrarunt memoriae. Veritatis sum amantissimus. Atque a re ipsa non abhorrere, quae jam attigi, unanimi testantur ore atque calamo, qui Ecclesiae Scholaeque nostrae praesunt, viri multa laude commendabiles. Posterius etiam id confitebuntur, cognituri, quam dicasti egenae juventuti Scholasticae ad comparandos quotannis libros, pecuniam. Quid quoque adjiciam, quam ingenuo NUMEN supremum domi forisque veneratus sis obsequio? Recte vereque sentire de isto, sancteque illud colere, fuerunt artes, quas imbibisti, ut dictum est, puer, & constanter per omnem exercuisti vitam. Illis ante omnia totis incumbendum esse viribus illis adolescentem aetatem, illis juventutis florem, illis virile robur, illisque senectutis canos consecrandos esse censuisti. Neque caruit illa pietas variis DEI O. M. remunerationibus. Non repetam, quanta benignitate tibi providerit, ut in magna rerum penuria ad Medicæ artis apicem potueris ascendere.

C

dere.

dere. Vix annum in illustri exegeras Salana, cum Pater optimus sui desiderium incredibile tibi relinqueret. In quam magnam hujus abitus te coniecit inopiam? Nihilominus DEI providentia illam ita adjuvit, ut, multis non opinantibus, & felicius, quam ipse speraveras, studiorum tuorum metam potueris contingere. Neque commemorabo, quam luculenter res tua familiaris in urbe patria creverit, ut non tuis tantum tuorumque usibus, sed & plurimorum pauperum desiderio sufficere potuerit. Id autem tacitus præterire non valeo, quod non exiguam clari nominis famam, virtutibus tuis convenientem, DEI munere sis adeptus. Anno M. DC. LXV. Serenissima Princeps, *Magdalena Sibylla*, Dux Saxoniae, Medicum suum ordinarium te esse voluit. Et anno M. DC. LXVII. Ipse Patriæ Pater O. M. *Fridericus Wilhelmus* Archiatri sui munus clementissime tibi tradidit. Idemque *Serenissime Sobolis* suæ valetudini custodiendæ Anno M. DC. LXIX. te præfecit, quam spartam, illo pie defuncto, Serenissimorum Tutorum suffragia comprobarunt. Cum autem post præmaturum juventutis Principis, *Friderici Wilhelmi* discessum, *Ernestus Pius*, Saxoniae Dux Augustissimus, harum provinciarum dominium jure hæreditario Anno M. DC. LXXII. acciperet, ille etiam sui suorumque Archiatri titulo te ornavit, sæpenumero consiliis tuis, interprete Medico ordinario, Daniele Ludovici in curando corpore usus. Quia & Anno
M. DC.

M. DC. LXX X. in aulam suam te pertrahere gestit. Valetudinis autem adhibita excusatione, in urbe patria remanere maluisti, quam aulae fluctibus te iterum iterumque exponere. Eandem ob causam non potuisti annuere Serenissimo Marchioni Brandenburgico, Domino *CHRISTIANO ERNESTO*, An. M. DC. LXXIII. desideranti, ut Archiatri munus in aula sua susciperes. Ad parilis excusationis necessitatem confugiens familiam tuam transferre Dresdam noluisti, cum Potentissimus Saxoniae Elector, *Dominus Job. Georg. III.* per principem ministrum efflagitaret, ut Medici sui provinciam imponi tibi patereris. Bis autem Anno M. DC. LXXXII. & M. DC. LXXXIV. ab eo valetudinis suae causa evocatus, praeter alia gratiae ingentis testimonia *Electoralis Archiatri* reportasti encomium. Colligi inde potest, dexteritati tuae quid tribuerint summi Principes. Nisi enim te excellentissimum cognovissent Medicum, tanto animorum consensu vitae suae curam à te minus expetiissent. Quid de aliis afferam dignitatibus, quae & aliunde tibi obtigerunt? Nimirum, quod *Academia Leopoldina Directores* celeberrimi tam illustris Collegii sui *Adjunctum* te constituerint; quod multi exterorum literis saepenumero missis testati fuerint, quanti te facerent, quantaque cupidine, amicitiam sibi tecum intercedere, optarent, quod & maximi Principes ad te direxerint literas cum singularis erga te gratiae significatione exaratas, in quibus non injuria

eminentissimum Romanæ Ecclesiæ *Cardinalem Collo-*
nitziū, quin & ipsum Cæsarem *LEOPOLDUM*
 invictissimum cum nonnullis Romani Imperii Electo-
 ribus collocare possem, si exigeret necessitas. Quorum
 munificentia si uti voluisses, ad quæ honorum, ad quæ
 divitiarum culmina potuisses emergere. Sed prætuli-
 sti patriæ terræ dulcedinem splendidissimis aliorum lo-
 corum muneribus. Maluisti in illa honoris mediocri-
 tatem obtinere, quam alibi magnis exsplendescere di-
 gnitatibus. Illi enim cum præprimis te natum esse ju-
 dicares, neglecta sanitatis tuæ ratione, cum ipso vitæ
 periculo, assidua diligentia inservire studuisti. Quili-
 bet inde conjiciet, patriæ amantissimum, studiosissi-
 mumque te fuisse, quamdiu inter mortales existere ti-
 bi licuit. Neque illa DEI clementia silentii peplo in-
 volvi debet, quam ab initio usque ad finem matrimo-
 nii tui es expertus. Concessit enim tibi An. M. DC. LXII.
 florente Majo, in prosperis & adversis sociam constan-
 tissimam, *Victorini Gruneri*, qui Serenissimis Patriæ
 nostræ Patribus à Secretis Camerae atque Feudorum
 fuit, filiam, natu mediam, foemineæ probitatis, pru-
 dentia, aliarumque dotium exemplar fulgidissimum.
 Quid tuo cum illa matrimonio blandius, quid auspi-
 catus, quid omni parte beatius cogitari potest? Quæ
 animarum arctissima copula? qui amor æmulus? Quæ
 reverentia mutua? Nulla inter vos fuit discordia, nisi
 uter

uter utri dilectionis mutuae palmam posset præripere. In cæteris una voluntas, una mens, diversa tantum corpora inhabitans. Non familiam modo illa circumspicte administravit, sed & utile in Chymicis laboribus atque in laboriosissima methodi sine evisceratione balsamandi inventionem officium tibi præstitit. Quin & enixa est tergemina tibi sobolem, filios nempe duos cum unica filia, *Johannem Victorinum*, paucis à nativitate diebus iterum denatum; deinde *Mariam Elisabetham*, ex qua mihi anno M. DC. LXX. XVI. in matrimonium collocata binos vidisti nepotes, alterum in matris utero mortuum, alterum infantilibus ineptiis multiplices senio tuo creantem delicias; & denique *Johannem Christianum*, qui diversis hæctenus in Academiis multa edidit egregiæ indolis specimina, per vestigia tua ad eximiæ laudis culmina contendens. Nonne ea omnia supremi NUMINIS sunt beneficia, quibus pietatem tuam exornare voluit? Neque abfuiisti à variis vitæ vexationibus? Nam quo sinceriore DEUM colimus obsequio, eo frequentiorem persentiscimus castigationem, non ut pereamus, verum ut constantiore cultu ipsi studeamus adhærescere. Paterno certe animo multa ab incunabulis usque ad obitum tibi imposuit. Nihil autem molestius accidere tibi potuisset, quam uxoris conjunctissimæ sub Anni M. DC. LXXXVI. exitum discessio. Quo arctiore animi vestri copulati erant vinculo, eo difficilius disjungi poterant. Acquie-

visti tamen in DEI voluntate, quam tuæ cynosuram
constanter veneratus es. Alia etiam dolorum lenimi-
na tenuisti, & occupationum multitudinem, quas
omnibus deliciis semper duxisti anteferendas; & dicti
filioli mei teneritatem, dulcissimorum gestuum blan-
dimentis, omnem tibi abstergentis sollicitudinem. O
si diutius te habuissemus superstitem! Sed arcana Fa-
torum consilia desiderii nostri vota præoccuparunt,
cum vitæ tuæ adhuc longinquæ spes nos reficeret.
Adeo incertæ hominum sunt cogitationes. Fallimur,
cum nullius erroris opinio nos titillat. Morbo cheu
corruptus pertinacissimo, quem nulla medicamento-
rum vis poterat frangere, instante noctis meridie ix.
Januarii M. DC. XCI. abiisti, quo DEI consilia te a-
vocabant. O lugubre verbum, quo me abripis? Qui-
bus tristitiæ fluctibus me absorbes? Satis quidem DEO,
fatisque tibi vixisti, amplissimas consecutus dignitates.
Nobis autem præpropere discessu obiisti, amore adhuc
tuo indigentibus; Nimis mature mortuus es patriæ,
officii tui per longinquum adhuc spatium cupidissimæ;
Nimiumque cito miseris, quorum ægritudinem variis
sublevasti beneficiis. Sed cur te mortuum esse pro-
nuncio, cum adhuc agas incolumis? Non enim ani-
ma tua tantum inter innumeras beatorum spirituum
myriades æternis gaudet beatitudinibus; sed & vivit
in hoc terrarum orbe nominis tui nobilitas, omnis in-
teritus derisura ignominiam. Superstes agis in filio,
de

de quo patria optima quæque sibi pollicetur; Perer-
nas in animi tui monumentis, quæ grata prædicatio-
ne sera circumferet posteritas; Illa immortalitatis ta-
bulæ famam tuam inferet, & ab omni oblivionis libe-
rabit injuria. Eam quicumque conspicient, excellen-
tissimi Medici exemplum te fuisse dictitabunt. Hisce
dictis, salve, indulgentissime Socer, æternumque
vale.

* * *

Viro Excellentissimo

D. FRIDERICO GUILIELMO
CLAUDERO

Perennem Soceri desideratissimi.

D. GABRIELIS CLAUDERI

Memoriam celebranti.

Cortice succiso lacrymat, statenque re-
fundit

Myrrha reservandis nata cadaveribus:
Sic pius arguti dum pungis acumine scripti
Protinus ex imo pectore statæ fluit,
Statæ

Ha 5332 OK

Stacta decus Magni conservatura patroni
Candida dum Musas vivere fata da-
bunt.

Subjungit

JOH. GEORG. VOLCKAMER, M. D.
Cæs. Majest. Archiater, Comes Pa-
latinus & Academiae Leopold.
Nat. Cur. PRÆSES.

* † *

Claudat Clauderum tumulus; cumulus meritorum
Panditur hic, complens Solis utramq; domum.

Sic

desideratissimi sui Dn. Collegæ
memoriam colit

Academiae Nat. Curios. **CELSUS**.



VD17
m.c.



AK. 239
4

Illustrissim

D. G.
CL

Electoris a

FRIDERICU

Me

Th

rum

IS

oniae

DER,

Za
5332

X 204 7900

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

